



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Orator Christianvs Caroli Regii E Societate Iesv

Reggio, Carlo

Romæ, 1612

Synopsis Earvm Rervm Quæ ad Oratoris Christiani rectam institutionem
faciunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68672)

SYNOPSIS EARVM RERVM

Quæ ad Oratoris Christiani rectam
instituitionem faciunt.

VT Orator noster, vnica velut in Tabula ante oculos habeat præcipua earum rerum capita, quæ ad totam huius nostræ institutionis seriem, ac praxim pertinent, placuit Synopsim hanc addere, vt quæ sparsim toto hoc opere diffusa sunt, vnum in locum collecta, vno contuitu, manifesta perspectaque fiant, vt statim, qui voluerit quid persequendum quidvè sit fugiendum, intelligat, Eruntque hæ nostræ propositiones, veluti medicorum Aphorismi, aut Mathematicorum axiomata, quibus tota hæc concionandi facultas comprehenditur.

Circa personam Oratoris.

Primò, Orator Christianus, ex suo munere, Instrumentum est Dei, per diuini verbi ministerium, gloriæ Dei, & gratiæ Christi illustrandæ, animarumq; salutis curandæ, ac diuinæ legi disseminandæ destinatum, quare totis ei viribus enitendum est, vt tanto muneri pro rei dignitate respondeat. Prima pars.

2. Multa eaque graua, & difficilia in hoc officio, strenuè ac ritè præstādo, necessaria sunt, quæ non sit facile in omnibus reperiri, quare serio quisque secum dispiciat, an tantum in bonis habeat, vt pro Christo hac legatione, benè rectèq; fungatur.

3. Ante omnia, necessaria est diuina vocatio, cuius aliqua signa & coniecturas non est difficile inuestigare: Veruntamen, eum tanti periculi, & momenti negotium sit, quo certius de vera sinceraque vocatione constet, non vltro currendum est, sed tota res legitimorum præsidum arbitrio permittenda est.

4. Qui autem ad animarum curam sunt vocati, illiq; oneri se subiecerunt, etiam prædicandi officio, humeros se subiecisse intelligant, pastoris enim est pascere, ac verbum diuinum Christi gregis est pabulum: quare animarum curatores per se ipsos vel perfungi munere tenentur, vel, legitime impediti, administratos idoneos prouidere.

5. Qui legitimæ vocationis habet signa, & superiorum, est

est autoritate prouectus ad cathedram, accedat promptus, ne accepti, & absconditi talenti reus fiat. Quoties vero occasiones exercendi sui muneris offeruntur, grato arripiat, fortique animo exequatur.

6. Volens libensque, non magnarum modo urbium suggestus excipiat, sed & ad pagos & castella, Christum imitatus accedat, confidens se in his locis cum pari, aut etiam maiori Dei gloria, & animarum lucro, operam suam collocaturum.

7. Illud apud se omnino statuat, & iudicet, nunquam se verum, ac dignum, in Ecclesia Dei oratorem futurum, nisi optimis moribus, & Christianarum virtutum splendore illustretur, cum nec orator politicus, apud ethnicos rhetores habitus sit, nisi idem vir bonus esset.

8. Erga Deum ita se gerat, ut primum intentio, in eius gloriam recta tendat eique soli placere studeat, atque ad hunc ipsum finem fluida omnia, omnesque labores conuertat.

9. Dei, & Christi amore ferueat ipse primum, si eandem in aliorum cordibus accendere cupit. Et Paulum imitatus, Christum semper in mente, & corde, semper in ore habeat, si eundem in alijs velit ingenerare, legatus Christi est, causam Christi agat, praeclare is legatione sui principis fungitur, cui princeps, & eius causa cordi est.

10. In oratione sit assiduus, quia praedicationis opus ex contemplatione nasci debet, nec vnquam ab oratione, verbum Dei separet, sed illud apostolicum teneat axioma, & crebro animo verset; Nos autem orationi, & verbo Dei instantes erimus.

11. Et quoniam suboriri multa grauesque in hoc munere difficultates solent, & in ipsos concionatores procellae excitantur ad eas fortiter tolerandas, ac superandas animum obfirmet, ita ut nunquam fiduciam in Deum, tanquam singulare scutum ab se abiciat.

12. In proximos tanquam fratres charissimos, & amantissimos, summa charitate feratur, imò induat matris, in filios affectum, cum tanto zelo salutis eorum, ut non modo sua pro illis, sed se ipsum etiam, libenter ad mortem, usque impendere sit paratus.

13. Quia verò sincera cordis humilitas, non solum contra omnem arrogantiam vanitatem munimentum praebet, sed etiam ipsi, apud omnes magnam conciliat gratiam, & auctoritatem eam praedicator semper, tum in suggestu, tum extra illum integerrimam conseruet.

Pauper-

14. Paupertatem quoque apostolicam, ad Christi exemplum, maximè Christi legato cōuenire intelligat, vt. possit eum Paulo verè illud repetere, Non vestra, sed vos quarimus, & habentes victum, & vestitum, his contenti sumus.

15. Tanquam certissimum apud se principium, statuatur, exemplum vitæ bonum, & sanctitatis opinionem, plus apud omnes valere, quam verba seu doctrinam. Quo circa curet omnino tum domi, tum foris, vt quos verbo hortatur, ducat exēplo.

16. Denique hac in parte, regulas quas Christus Dominus apostolis, cæterisq; verbi Dei præconibus assignauit, studiosè perlegat, diligenter obseruet, intelligatq; pro Christo legatione fungenti, quam Christus met, legatis suis præscripsit normam sequendam esse.

17. Non solum vitæ sanctimonia, sed scientia quoque illustris esse debet qui alios docendi munus assumit, Alioqui claudicare necesse est prædicationem, in qua qui doctorem agit, doctrina indiget.

18. In scientia concionatoris, primū habeat locum, sacrarum scripturarum peritia, ad quas toto pectore perlegendas, & intelligendas, meditationeq; versandas, intentus sit, vt sibi primū ea lectione, deinde alijs proficiat. Idcirco. n. boui triturati, os alligari nō debet, vt dū alijs fruges terit, interim ipse pascatur.

19. Curet autē scripturarum sacrarum historicum sensum, ex ipsis vocibus, ex linguæ proprietatibus, & idiotismis, ex adiunctis, perfectè assequi semper Sanctorum Patrum vestigijs atque interpretationibus inherendo.

20. In studijs, & cōgitatione Scholasticæ theologiæ, sit saltem mediocriter versatus vt expedite, ac sine vilo erroris periculo, cum locus poscit, fidei dogmata, cæteraq; ad docendum, vtilia tractet.

21. In sanctorum patrum lectione, sit assiduus, & non solum res, sed spiritū quoque ex eis hauriat, eorumq; sententijs, & apophthegmatibus splendeat concio, sicut stellis cælum.

22. Præterea etiā sacrorum canonum, & Catechismi, & controuersiarum, quæ cum hæreticis agitantur linguarum itē Græcæ, & Hebraicæ, & liberalium artium, atque historiarum, & rerum ciuiliū notitia, curet ne penitus destitutus sit.

23. Ad facundiam etiā comparandam, quæ Christiano oratore digna sit animum adijciat, ad quam positis idoneæ naturæ dotibus, etiā artis oratoriæ præcepta prodesse poterunt, bonarum concionum lectio, Illustrium ac spiritualium orato-

oratorum auditio, prudens imitatio, rerum dicendarum præmeditatio, & accurata, sed non affectata scriptio.

24. In priuatis declamationibus sit exercitatus, antequam in publicum descendat, habeatque virum aliquem prudentem, atque peritum, à quo dirigatur, Nec solum tyro, sed etiam veteranus magnificat, aliquem concionibus suis adesse, à quo amicè obseruetur moneaturque; Verè enim dicitur, plus vident oculi quam oculus.

25. In prædicatione perfectissimum sacræ eloquentiæ virtutumque omnium exemplar ad imitandum sibi D. Paulū proponat, eo protectore gaudeat, epistolarum eius sacræ misteria scrutetur, & in suis concionibus tanquam præciosos thesauros afferat. Præterea ex sanctis patribus aliquem, vel aliquos sibi patronos, pro sua quisque deuotione asciscat.

Circa ipsam Orationem.

26. **A**D opus inde ipsū accedat, quod est ipsa concio. Sed illud primo loco apud se statuat etiam eloquentiam sacris concionibus perutilem fore, non illam futilem, & corruptam, sed sapientem, ac seriam, ea est quæ ad meliorem frugem, homines adducit, quæ auditorem quo est opus impellit; Denique in qua rebus verba, ac sententijs optimè seruiunt eaque vt ancillæ dominas sequuntur.

Eloquentia.

27. Christiani oratoris Eloquentia, pro ratione personæ quam sustinet, & rerum maiestate quas tractat, grauitatem, quandam redolere debet, quare superfluum ornatum, & floridum quoddam dicendi genus, & luxuriantem verborum copiam, atque omnem leuitatis suspicionem fugiat.

Finis.

28. Hoc autem tanquam certissimo, principio totius operis posito intelligat huius facultatis finem, in persuasione consistere, proinde in singulis concionibus, certum sibi scopū præfigat & quidnam sit, quod persuadendū aggreditur, prænoscat, Ad quod, idoneam in primis materiam seligat, & in ea certum aliquid quod, animis auditorum imprimat, tenere curet.

29. Ordo item totius concionis, & partes, & argumenta, & modus eloquentionis ad præfixum scopum, tota dictio, tota actio, & omnis industria tendat.

Officia.

30. Ad hunc finem persuasionis assequendum; Tria oratoris officia referenda sunt, vt Auditoris mens primò bene doceatur; Deinde voluntas quæ sequitur intelligentiam impellatur.

tur: Delectatio vero non per sese querenda est, sed ad hoc, vt auditor libenter attendat, & doceri mouerique se finat.

31. Ea laudatur eloquentia, quæ sapientem grauitè oblectet, præclarior est doctrina, quæ rudes erudiat, ei tamen perfecti Oratoris palma debetur, quæ flecitur quo velit, auditorum animos. Hic tu insiste; si te virtutis amor, & Dei viget gloria.

32. Cum materiam sibi amplissimam ad prædicandum assignatam habeat, omnia quæ ad viam Purgatiuam, Illuminatiuam, & Vnitiuam spectant, In his sciat suas esse partes, falsa dogmata, cunctaque vitia exterminare, ad omnium virtutum actiones promouere, ac homines perficere, Idque varijs concionum generibus, docendo, laudando, consolando instituyendo, corripiendo, hortando, suadendo, prout auditorum apud quos agit status, requiret, qui erit diligenter considerandus.

33. In omni concione sciat se debere, verbuni Dei, quod ex scripturis sumet, prædicare, maximeque ea tractare, quæ mores instrunt, & diuinorum mandatorum continent obseruationem, ac peccatorum penitentiam, quare ad id præstandum ea seliget, quæ populari concioni, & faciliora, & vtiliora, & certiora sint.

34. Ad ea quæ afferit corroboranda, efficacibus vtetur argumentis, quæ propter locos tum topicos, tum Theologicos communes, tum eos qui singulis causarum generibus peculiare sunt familiares habebit, & ad manum paratas.

35. Eos locos verò, peculiari studio consulat, qui ad Christum eiusque prædicanda misteria pertinent, Vnde variam argumentorum supellectilem promat, quibus Christum, eiusque amorem omnium animis inferat, & Christianos mores, ac nobilitatem prædicet, vt suam dignitatem populus Christianus, suasque spes intelligens, & dona sibi à Deo collata, conuenienter tali professioni vitam instituat.

36. Diuinæ scripturæ testimonia accuratè verset, fidelitè afferat, cum maiestate, & energia proferat, induat eorundem spiritum, ex rebus, & verbis vim faciat, urgeat, obsecret, arguat, increpet, Vsurpet frequentissimè historicos sensus, allegoricos verò parcius, & adhibita prudentia.

37. Vtatur suo loco argumentationibus varijs, Afferat optima similia, exempla, sententias graues ac selectas: adhibeat ad excitandos motus, validiores amplificationes.

38. In affectibus mouendis sit exercitatus, quod facile assequetur, si eisdem ipse induat in se, seque commoueat si sacerorum

Materia.

Dilectio.

Loci argumentorum.

Scriptura.

crorum librorum sententias, & verba penetret atque examinet si orationi, & meditationibus sit additus.

39. Intellegat moratam orationem, plurimam sibi fidem, apud auditores conciliaturam, cui rei concepta de oratoris virtute bona opinio, prodest plurimum, quam conseruabit si verè, & cum simplicitate, eius conciones, & Diui Pauli & sanctorum, sanctitatis, ac virtutum odorem spirent.

40. Etiam aptam reddet orationem, & persuasibilem, si omnium aetatum, conditionum, ac statuum moribus, ita fuerit accommodata, vt omnium mores, & ingenia, quantum fieri potest, conuertat in bonum, & prudenter cum Paulo, omnibus omnia fiat, vt omnes lucrifaciat. Præterea si suæ personæ, si loci, ac temporis, denique si materiæ quam tractat rationem habeat.

Dispositio,

41. Post rerum Inventionem, in earum Dispositione, ac taxii, adhibenda est diligentia, prout causa genus varium, & Euangelicæ historiæ narratio postulabit.

42. Quæ dicenda sunt, ad aliquot summa capita, & pauca sibi inuicem coherentia, referat, eaque initio concionis, per breuem dicendorum propositionem, aut partitionem significet; tam dilucide vt ab omnibus facillimè percipiatur, quid sit omnino tractandum.

43. Omnes orationis partes, suum retineant decorum, Exordium grauitatis, ac simplicitatis plurimum habeat Narratio sit breuis, dilucida, suavis, præsertim, veritate nitatur.

44. Confirmet sua efficaciter, & contraria neruose ac modestè confutet, Digressionibus, vbi est opus vtatur, sed breuibus, Peroratio per cohortationem commodè fiet, excitando affectus vt à concione discedat auditor commotus, & sibi ipsi benè consulens.

45. In Triplici genere dicendi sit bene versatus, vt & granditer agat, & moderatè ac summissè, prout opus erit. Ipsa eloquentio, sit secundum idioma rectè loquentium, emendata, proprietatem puri sermonis ac diluciditatem, vimque amet; potius quam flores.

46. Compositio non sit valdè compta, aut poetarum more numeris astricta, sed grauis, & Ecclesiasticus stylus, in quo res magis quam verba emineant, sitque aptus, & decorum, vbiq; seruet.

47. Si opportunè figuris sententiarum, ac verborum vtetur, efficacem, ac viuam reddet orationem, & ad animorum motus

motus accommodatam, quod maximè descriptiones facient graues, ac seriæ, rerum vtilium, quæ non tam auribus quam oculis, rem totam subijciant.

48. Memoria, facilius, quæ dicturus est commendabit, si methodus rebus adsit si ipsemet sibi, signa quæpiam formet, ac notet, si assidue præsertim matutino tempore memoriam, excolat.

49. Curam habeat bonæ actionis, quæ meritò altera dicitur eloquentia. Utatur voce clara, equabili, varia pro rerum quas dicit natura, familiari præsertim, ac suæ naturæ, corporisque constitutioni accommodata.

50. In gestibus, rerum sententiarumque naturam sequatur, gaudeat moderata grauitate, ac naturali decore, sit vultus serenus, & ita se componat, qualem decet eum, cuius sicut vita ita tota actio debet esse composita.

Circa Prudentiam, & Industriam concionantis.

51. **I**N suo munere Prudentiam maximè necessariam esse, Tertia pars. omnino sibi persuadeat. Quare primum, naturæ suæ doctus, atque ingenium, perfectè agnoscat, & sese secundum eas, moderetur vt seipsum reprimat, si naturæ sit vehemens; vt geat, si timidæ, & in omnibus nihil supra vires audeat.

52. Ad suorum auditorum captum descendat, ac loco temporique seruiat. Zelus sit secundum scientiam, & ad rectæ prudentiæ normam regatur. Quæcunque dicturus est, antea præmeditetur.

53. Ita omnia dicat vt nullam prorsus ex eius verbis, populus ad vitam liberiolem sectandam, occasionem capiat; Omittat multas opiniones etiam veras, aut quæstiones, quæ ad vtilitatem multitudinis aut parum, aut nihil conducunt.

54. Prudentis est Oratoris, de se suisque rebus, raro admodum, seu potius nunquam loqui, sed ita se gerere, vt auditor dicentis personam, nunquam attendat, sed ad Deum eiusque verba, totum sese conuertat.

55. Debet etiam in suggestu humilitatem, patientiam, mansuetudinem, tolerantiam significare; Tunc vero maximè, cum aliquid contra se aut dictum aut factum nouerit, hoc enim eum auditoribus, valde amabilem ac venerabilem reddet.

56. Feruor spiritus & dicendi, quidam ardor, videtur ipsius

fius concionis anima, quem tanquam ignem fouere ac nutrire oportet, precibus, aliqua corporis castigatione, librorum spiritualium, lectione ac meditationibus.

57. Optimum est in ipso orationis cursu attentionem aliquando renouare, interpellando, monendo, interrogando, dictione item varia, distincta, ad viuum res exprimente, actione seria, efficaci, etiam breuitate concionis, ne fatigentur audiendo aures, & animi molestia.

58. Libertas in dicente appareat, quæ omnem vanæ timiditatis suspensionem excludat, vbi Dei gloria quaeritur, Christi causa agitur, animarum lucrum intenditur, modo ne sit audax, & extra fines modestiæ sed cum ea mensura, quæ prudentiæ, charitati, humilitati que sit consentanea.

59. Tunc fructuosè boni concionatoris industria collocatur, cum à thesi ad hypothesin transit cum quod agendum sit, & quomodo, in specie auditor discit, ita vt quæ audit, aptare sibi, memoriaque tenere, meditatione ruminare, & conquire, demum opere ipso perficere possit.

60. Qui in rusticorum pagis conciones habet, eâ tractet, quæ illi planè, ac faciliè intelligant, & eo modo quo eis maxime profutura cognoscet, maxime quæ ad præceptorum obseruationem & peccatorum penitentiam, & correctionem, valent.

61. Qui verò in aulis principum, hoc munus exercet raro inter aulicos commoretur, nisi de spirituali, animæ negotio agatur. Videat ne quid aulicum, ex consuetudine curiæ, sibi adhereat. In concionando ita se gerat, vt neque aduleatur, neque imprudenter arguat. Et in omnibus se prudentem, amabilem, ac zelantem exhibeat.

62. Curet diligens concionator, pro varij status ratione, omnes secundum Deum rectè instituire habeatque paratam rerum syluam, ex qua, accommodata, singulis hominum generibus argumenta depromat.

63. Eos qui de eligendo adhuc statu cogitant, ab bonam electionem, secundum Dei voluntatem faciendam salutaribus monitis instruat.

64. Omnia peccatorum genera, omnes abusus, & peccati occasiones, acriter insectetur, acrius verò in eos inuehatur, qui peccandi consuetudinem contraxerunt, vel in desperationis, ac impenitentiae barathrum dilapsi sunt, vel etiam vt que ad cordis duritiem peruenierunt, in quorum morbis, licet graui-

grauissimis non cesset, vt peritus Medicus, opportunè, importunè remedia adhibere .

65. Habeat contra peccati grauitatem, copiosam segetem, locorum, & argumentorum, quibus frequenter in ipsius peccati odium ac detestationem omnium animos accendat, & ab eis cauendis diligenter præmuniat .

66. Pœnitentiam peccatorum tanquam singulare antidotum frequens in ore habeat, ac usq; quibus ad eam animus præparatur explicet, Confessionis vsum assiduum omnibus modis inculcet .

67. In peccatis etiam, & peccatoribus arguendis, prudentem solertiam, solertemq; adhibeat diligentiam: & ita in ipsa vitia feratur oratio, vt neminem pungat, neminem feriat, neminem exulceret, sed omnes potius sanet, ad exemplum boni Samaritani, qui in vulnera, oleum, vinumq; infudit, quod est charitatem patris, ac zelum in filios exhibere .

68. In Superiorum peccatis, & Ecclesiasticorum virorum arguendis, eam adhibere oportebit dexteritatem, vt apud populos, nihil de eorum existimatione, ac reuerentia deperdatur .

69. Caueat ab omni adulationis, vel minima suspicione, veritatem, vbi & quando est opus, cum omni sinceritate proferat, potius in seueriorem partem, quam in laxiorem inclinet, sanctorum virorum exempla sequutus .

70. In via illuminatiua ad progressum, in virtutibus omnes promoueat, ad Christi imitationem, & mysteriorum eius contemplationem, hortetur, & ad deuotionem, vt etiam à peccatis venialibus abstineant, quantum fieri potest, torporisq; vitium, ab se procul ablegent .

71. In via Vnitua, de statu perfectionis, & Religiosorum qui Euangelica sequuntur consilia, eorumq; felici tranquillitate, nonnumquam agat, qui renuntiantes mundo, totos se Deo dedunt .

72. Omnes verò ad Deum toto corde super omnia diligendum, & ad fraternam inter se consensionem sectandam, inducat, in quibus legis diuinæ & Euangelicæ plenitudo consistit .

73. In quaerenda proximorum salute, præsertim in missionibus prudentis est varias excogitare atque adhibere industrias, inter quas illæ primum habere locum debent, quæ circa suam personam ponuntur, vt ipse scilicet vetere homi-

ne exuto, nouum induat, qui secundum Deum creatus est, si velit in alijs idem præstare, quare omnes vani timoris ac pusillanimis spiritus angustias omnes amoris proprii animales affectus, omnes denique corporis inordinatas concupiscentias, per veram mortificationem ab se abiciat necesse est.

74. Deinde eam industriam ac prudentiam teneat, vt intelligat planè, quibus operibus pijs ei magis sit insistendum, quæ ad maiorem Dei gloriam spectent, & cum quibus personis potius atque diutius, ad maiorem fructum colligendum ei agendum sit. In eundem finem, ea media seligat, quæ plus efficaciam sint habitura, in quibus curet eorum cum quibus agit beneuolentiam captare, & sui apud omnes bonam estimationem conseruare, quod quibus modis perficere valeat, diligenti studio inuestigare debet, & à nobis suo loco tangitur.

75. Magno pietatis affectu ad pauperum miserias subleuandas feratur dignissimum opus, & Prædicatoris muneri annexum, non tam in ipsorum inopum beneficium, quam in eorum qui eleemosynas conferunt emolumentum.

76. Habeat præter eas materias, quæ communiter in concionibus tractari solent, collecta multa præcepta, consilia, monita, quæ ad vsum vitæ spiritualis & praxim pertinent, quibus auditores quomodo erga Deum, quisque se gerat, erga se, & proximos instruat, eaq; in concionibus crebro interferat.

77. Ad concionem parandam ea industria optima est, vt principium à Deo sumatur, per sui examen ac preces, quibus fructuosam à Deo impetret concionem, deinde materia habeat delectum. Ex bonis auctoribus rerum sylum colligat, quam secum vt mundum animal meditando ruminet. Inuenta rectè disponat, & disposita graui eloquutione scribat, vel capita rerum notet. Eadem rursus attentè dispiciat, diiudicet, corrigat, addendoq; vel detrahendo, aut immutando perpoliat.

78. Habiturus concionem, pridie ad deuotionem se parat, etiam per aliquam sui corporis castigationem. In sacrificio Missæ, alijsq; precibus, negotium Dei Deo commendat.

79. Accedens ad pulpitem, rectam intentionem, ac zelum renouet, grauitatem cum simplicitate coram omnibus præ-

præferat, modestiam ac serenitatem vultus retineat.

80. In concionando sit feruens, vtatur voce familiari, cum libertate, consideratè loquatur vt verba non projiciat, sed ponat. Absoluta concione Deo suum laborem offerat, petat pro erratis veniam. Si quid bene factum est, Deo auctori agat gratias.

81. Habiturus conciones quotidianas per totam Quadragesimam, ante ipsum tempus, per aliquot dies spiritualium exercitiorum, commentationibus, ad futurum prælium animum exacuat, sincerissimum rectæ intentionis finem coram Deo ad animarum fructum exsuscitet.

82. Deinde præter conciones, quas bene paratas ad fructum colligendum, habere debet, operam det vt bono sanctitatis exemplo, omnes ædificet, ad eaq; prædicanda cum feruore animum applicet, qua hominibus loci ybi concionatur ad mores aptiora, & vtiliora salutis futura intelliget,

